



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**R. P. Adami Contzen E Societate Iesv, SS. Theol. Doct.
Commentaria In Qvatvor Sancta Iesv Christi Evangelia**

Contzen, Adam

Coloniæ Agrippinæ, M.DC.XXVI

Quod brachium Domini?

[urn:nbn:de:hbz:466:1-83011](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-83011)

lim, qui nulla alia de causa etiam illa quae in Euangelio facta leguntur facta crediderunt, nisi ut scripturae impleverentur. Longa sed docta & plane Theologica est oratio hac de re apud Athanasium de passione & cruce. Multis, inquit, incidunt in Evangelia, & audientes illa verba: Ut impleveretur scriptura, arbitrantur, ea quae facta sunt, nullam ob aliam causam facta, quam ut impleveretur scriptura.

Hinc vero in altum errorem inciderunt, καὶ ἐν τούτοις ὡς θεοὶ μὴ ὑποτασσάμενοι τῷ κυρίῳ, ἀλλὰ ὡς ἀντιπαρθενοῦς, ὅτι οὐχ ὡς ἀμαρτανόους, ἀλλὰ ὡς ἀλγενοῦς τοῖς γεγραμμένοις ἐνεργῶσι. Atq; ex eo existimaverunt, non modo innoxios esse eos qui faciunt, sed potius laude dignos, vixite, qui non peccantes, sed scripturae servientes operati sunt. Nam sermones prophetarum veros non fuisse futuros, nisi ipsi ista fecissent.

Pergit deinde tantam illam refutare amentiam. Non enim si auferas sermonem prophetarum mox credent. Respondet enim ille: Caterum illa opinio multum abest à veritate, non enim propheta ista auctor est, neq; Iudaei extra culpam istius incredulitatis consistunt, sed prophetia ea quae ipsi facturi essent prospiciens futura esse denuntiavit. Illi, id ipsum postea opere executi verum esse sermonem prophetiae declaraverunt. Neg, ut inservientes prophetis verbis ista contra Christum ausi sunt, sed suo ipsimet studio, sponte volentesq; illa perpetraverunt, ut non propheta istarum rerum sit causa, aut auctor, sed ipsorum voluntas, quin potius ipsi in causa fuerunt: ut talia de ipsis propheta diuinaerent. Siquidem propheta proprium est, futura prospicere, & in eo non hallucinari. Hominum autem proprie est agere, quod volunt. Et sicut oculis contuentes in contuendo non fallimur, neq; aliter videmus, & aliter res agitur: sed ut agitur videmus, & ut videmus, agitur. Ita quoq; propheta futura & praesentia videbant, verum quae cernebant, oportebat fieri, & quae fiebant, non poterant non videre. Rursum ut ea quae nostris oculis videmus, necesse est esse, cum ea quae sunt, sub aspectum veniant: neq; fieri potest, ut aliter sint, quam à nobis videntur: ita quoq; quae à prophetis prospiciebantur, necessarium erat ea esse, neq; fieri poterat, ut aliter essent, quam ipsi praeviderant. Nam si ea quae sunt, non praeviderent, propheta non essent.

Concludit autem nervoso, & verissimo dicto disputationem, quo Augustinus alique usi sunt. ὅτι γὰρ ἐπειδὴ γεγραμμένον ἐστὶν τὸ πρὸς τὸν θεόν, ὅτι ἐργάτοιο πάντως, ἐστὶν τὸ πρὸς τὸν θεόν καὶ πρὸς ἀλλήλους. Non enim quia scripta sunt, idcirco eveniunt; sed quia omnino futura erant, ideo praedicta sunt.

Alij idem interpretantur de euentuum certitudine: ita enim evenisse, ac si ad prophetiae veritatem significandam fieri debuissent. Vel non magis eos credidisse, quam si ob prophetiam fuissent impediti.

QVÆSTIO II.

Quod brachium Domini?

§. 1. **E**Vlebius l. 3. de demonstratione Evangelica c. 2. Christum dominum fuisse interpretatur. Hoc ipsum ex S. Athanasio l. de communi essentia patris, &c. sumpsisse viderur. ἐνέως, inquit Athanasius, οὗν ὁ θεὸς ἦν ἐλεγε ἐν τῷ πνεύματι, καὶ τὸ σωτὴρον μὲν ὡς λαμπρὸς καθήσκει, καὶ εἰς τὸν θεὸν ἡμεῖς ἐν ἡμῶν. θεογονία δὲ πατρὸς καλεῖ τὸν μονογενῆ, θεογονία δὲ υἱοῦ ὡς μετὰ τὸν πατέρα, καλεῖ, ἀλλ' ὡς τῇ ἑστὶ συνήθειαν. Merito igitur propheta dixit ex persona Dei. Salutare meum, ut lampas ardeat, & in brachium meum gentes sperabunt, brachium enim patris vocat, vniuersum, brachium, non ut partem deitatis vocat, sed ut substantiam coniunctum. Nam brachium est eiusdem naturae, cuius homo est; non autem brachium hic ut pars dici potest, cum deitas non habeat partes.

Quamvis ergo in scriptura brachium domini soleat vocari potentia, hic tamen apud prophetam de fi-

lio, qui est patris potentia accipitur: Etenim divina potentia huius, qui superbe brachium contemnebant reuelata fuit. Nam Hebraeorum בְּרַחַם à spargendo, ventilando dici videtur, ita vocare solent, robur & vires, quod latini dicere solent lacertos, armos etiam bestiarum sic nominant. Deut. 33. 20. cepitq; brachium, & verticem, Sic Psal. 98. Num. 6. 19. Soler vero redemptio tribui brachio domini, quocirca Christum redemptorem vocant brachium domini. Deut. 7. 19. Viderunt Aegyptij, &c. brachium extentum, הַיָּד הַמִּתְנַחֶמֶת & brachium extentum, domini extantem virtutem: Christus autem ex Aegypto filios Dei eduxit. Et Exod. 6. 6. redimam vos in brachio extento. Sic 2. Reg. 1. 10. Isa. 30. 30. Exod. 15. 16. Ezech. 4. 7. Isa. 63. 5. Psal. 8. 35. Zach. 1. 17. Isa. 33. 2. Jerem. 48. 25.

§. 2. Sabellius hoc loco abusus est, ut vnam patris & filij hypostasim probaret. Totius enim hominis, & Sabellius brachij, quae pars est, vna est hypostasis. Quantomotus, si verba aucupari fas esset, inde distinctionem aliquam confecisset: aliud enim est brachium, aliud homo. Pars in toto est, non ipsa totum est. Augustinus tractatu 53. etiam Dei filium dicit brachium. Vbi satis ostendit, brachium domini filium Dei nuncupatum, non quod Deus pater figura carnis determinetur humana, eique filius tanquam membrum corporis hereat, sed quia omnia per ipsum facta sunt, ideo brachium domini dictum est. Sicut enim unum brachium per quod operaris, sic Dei brachium, dictum est eius verbum, quia per verbum mundum operatus est.

Brachium ergo, ut Augustinus, Beda, Rupertus, Dei potentia, & ut Athanasius, alique, Christus, qui est sapientia patris ita & potentia.

VERSVS 39. 40.

Propterea non poterant credere, quia iterum dixit Isaias: Excacavit oculos eorum, & induravit cor eorum: ut non videant oculis, & non intelligant corde, & conuertantur, & sanem eos.

QVÆSTIO I.

Quomodo excacati fuerint?

§. 1. **B**laspheemia nimium hodie est vulgaris, qua Deo agenti, & cogenti excacationem Libertini & Caluiniani tribuunt. Nec enim desertionem, nec solam permissionem concedunt, sed actionem requirunt Dei excacantis, ἀνοήτων est, inquit Pareus, verba actiua significare permissionem, sunt enim secundae, & tertiae coniugationis. Imo ipse horrendo modo Iudaeos hos exculat. Non magis ait in hominum potestate esse contumaciam repellere, quam latronis non agi in crucem. Quod si est verum, sine culpa contumaces sunt, nam etsi non sine culpa latro in crucem agitur, non tamen in crucem agi culpa est.

Nec ad rem facit, quod Pareus ait id fieri cum excacatio peccatorum praecedentium est. Nam cum poena infligitur, rationem peccati non habet, est enim coacta, at falsum est, hoc sentire Caluinum, & ceteros Caluinianos, obijcit Pareus contra quem demonstravi eas impias sententias esse ipsius bestiae, & symylarum eius. Nunc alia quaedam loca adferam. Beza contra Castalionem Dei omnipotentiam posse consistere negat, nisi peccata velit. Si est in Deo quaedam simplex permissio peccatorum, non est Deus omnipotens, sed Deus Epicuri, ociosus, ignavus, & improvidus.

Et Caluinus lib. 3. cap. 24. §. 6. contendit, non nuda Dei